SPECIMINIS ACADEMICI

DE

EPIGRAMMATE

PARTEM POSTERIOREM,

VENIA AMPL. FAC. PHIL. AB.

EXHIBENT

JOH. FREDR. WALLENIUS,

PHIL. ET MED. DOCTOR, ASSESSOR R. COLL. MED. HON. FAC. MED. ADJ. ORD. ET DEMONSTRATOR BOTANICES, REGG. SOCIETT. PATRIOT. HOLM. OECON. FENN. ET OECON. WERMEL. MEMBRUM, ILLIUSQUE SECRETARIUS PRIMARIUS,

ET

RESPONDENS

OLAVUS REHNSTRÖM,

STIPEND. REG. TAVASTENSIS.

In Auditorio Majori die IX Junii MDCCCIV.

Horis post meridiem solitis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

PLURIMUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO,

DOMINO MAGISTRO

GUSTAVO POLVIANDER,

Eccleſiarum, quæ DEO in Hattula & Tyrvändö colliguntur, Paſtori, adjacentiumque Præpoſito, Societatis Reg. Oecon. Fenn. Membro,

Fautori Benignisſimo pieque colendo,

Cui, a tenera inde infantia, vigiles, liberales, paternas acceptas refert curas, donec proprii laboris fructum proferre valeat, alieni venerabundus offert

Carisſimi Nominis

humillimus & obſervantisſimus cultor
OLAVUS REHNSTRÖM.

dice, liberari ſcriptum ſinatur, cur idem in Epigrammate non admittit? Ac ſi terminis magis technicis uti lubet, cur prædicatum a ſubjecto, & ultima verba a primis, quorum eſt ad exitum præparare, abeſſe patitur? Cur in illis, quam in hisce, argutias magis reformidat? — Definitioni vero Lesſingianæ quo pacto id vitio vertere potuit, omiſſam eſſe ipſius monumenti, quod primæ Epigrammatis parti reſpondebit, mentionem, cum tamen illi mox ſubjungatur (38)? Sed nec videmus, cur Poëmatia omnia, modo Græca fuerint, Epigrammatum nomine comprehendi tantopere aveat? An plura brevium carminum genera, quia non ſatis diſtinxerant Græci, neque nobis licebit diſtinguere? Quod ſi in antiquis maneas, cur v. gr. Funus Paſſeris in CATULLO ad Nenias ſepulcrales non amandabitur? Quarum nomen cum & ad alias, maxime nutricum, cantiones poſtea translatum fuerit, quid vetat etiam ad breviora illa, parum jocoſa nec acuminis laudem quærentia, ſed mollia, venuſta, gratiis adſperſa, amatoria plerumque (*Madrigaux* Galli appellant), qualia ſunt multa Catulliana & Græca, idem adhiberi, ac Neniarum amatoriarum, ducta a potiori denominatione, genus conſtituiſſe? Et ſententiæ demum illæ morales, quæ vel ipſo HERDERO concedente (39), non generaliter primum, ſed ex incidenti occaſione, expoſitionis locum ſupplente at oblivioni dein tradita, pronuntiabantur, an nudæ ac univerſim expreſſæ tantam habent vim tantamque auctoritatem, quantam ſi ad ſpeciale quoddam factum referantur? Non credimus. Fac igitur excludi ab Epigrammatum

(38) Definitionem, quæ Libr cit. p. 103 legitur, proxime excipiunt verba: *Wenn ich ſage "nach der Art der eigentlichen Aufſchrift" ſo will ich das Denkmahl zugleich mit verſtanden wiſſen, welches die Aufſchrift führet, und welches dem erſten Theile des Sinngedichtes entſpricht.* p. 104.

(39) Libr. cit. 2ten Samml. p. 143.

numero quæcunque Lesſingianæ non conveniunt definitioni, fac ad alia genera ablegari, ſuus tamen vel hisce conſtabit honos ſuaque laus, quam ne in apophthegmatibus quidem moralibus, ſed poëticis, deterere magis eſt animus, quam Poëma didacticum, ideo quod non ſit Epos, merito fraudare ſuo.

Conciliare pugnantes ſententias utcunque tentavit quidem ESCHENBURG (40), ſed ſucceſſu, uti nobis videtur, deſtitutus. Tentavit pariter, quaſi in tranſitu, KLOPSTOCK (41); tentaſſe videtur, ſed jungendo diſſona, SCHMID (42), ſpe ambo delusi. Nam, ut in iſtius conatu maneamus, ſi ad ſimilitudinem monumenti & epigraphes perfectum quodvis exigi deberet epigramma, non liquet, qua ratione illa, quæ talem non ſuſtinent comparationem, qualia ſunt Herderianorum genera plura, eodem nomine queant comprehendi. Quare nec illas probare poſſumus Epigrammatis definitiones, quas concinnarunt aut SCALIGER, VAVASSOR, VOSSIUS, Poëticæ Gieſſenæ Auctores, MASENIUS, BATTEUX, RAMLER, FORMEY, de quibus omnibus ſupra, aut ROLLIN (43), MARMONTEL (44) & no-

(40) l. c.

(41) Sequenti nempe effato:

Bald iſt das Epigramm ein Pfeil,
Trifft mit der Spitze:
Iſt bald ein Schwerdt,
Trifft mit der Schärfe:
Iſt manchmal auch (die Griechen liebtens ſo)
Ein klein Gemählde, ein Strahl, geſandt
Zum Brennen nicht, nur zum Erleuchten.

(42) Diſſertationibus tribus, de Poëſi epigrammatico-paſtoritia, de Poëſi epigrammatico-epica, & de Poëſi epigrammatico-elegiaca, Gieſſæ 1771-1773 editis, nobis non viſis.

(43) *L'Epigramme eſt une eſpèce de Poëſie courte, ſusceptible de toutes ſortes de ſujets, qui doit finir par une penſée vive, nette & juſte.* Libr. cit. p. 41.

(44) *L'Epigramme n'eſt quelquefois elle-même qu'un petit conte ter-*

noſtras HOF (45): nec in iis, qui artem Poëticam vorſa dictione tradiderunt, ut in BOILEAUVIO (46) & GYLLENBORGIO (47), ſcrupuloſitatem philoſophicam ſtricto omnino jure deſideraveris. Melius fere definiunt GOTTSCHED (48), LE BRUN (49) & Encyclopædiſtæ (50), neque tamen, quantum fieri potuit, accurate. Unde, reliquis miſſis, in Leſſingiana maneamus vocis interpretatione.

Sequi-

---

miné par un bon mot ou par une ſolution imprévue & plaiſante. Quelquefois auſſi c'eſt l'expreſſion d'une penſée, dont la fineſſe & le ſel ſe fait ſentir à la fin. Poëtique Françoiſe T. II. 2:de Partie p. 542.

(45) *Epigrammen är gemenligen ej annat än ett qvickt eller bitande infall på vers.* Svenſka Skaldekonſten, i Svenſka Parnaſſen för 1785 p. 373.

(46) *L'Epigramme plus libre* (que le Sonnet), *en ſon tour plus borné,*
N'eſt ſouvent qu'un bon mot de deux rimes orné.
Art Poëtique Ch. 2, v. 103 ſq.

(47) *En lått ſatyriſk pil af Epigrammet hvåſſas,*
Der inom några rim ett lyckligt infall präſſas.
Förſök om Skaldekonſten, Tredje Sången v. 315 följ.

(48) *Eine Ueberſchrift iſt der poëtiſche kurzgefaßte Ausdruck eines guten ſcharfſinnigen Einfalles, der entweder jemanden zum Lobe, oder zum Tadel gereichet. - - - Ich nehme das Wort ſcharfſinnig im ordentlichen Verſtande, für die Wahrnehmung eines Umſtandes an einer Sache, den nicht ein jeder würde geſehen haben.* Verſuch einer critiſchen Dichtkunſt, Leipz. 1742 p. 605 ſq.

(49) *L'Epigramme eſt un petit poëme ſusceptible de toutes ſortes de ſujets, qui doit finir par une penſée vive, juſte & inattendue.* Encyclopédie de Paris, Art. *Epigramme.*

(50) Ibidem. *Epigramme, petit poëme ou pièce de vers courte, qui n'a qu'un objet, & qui finit par quelque penſée vive, ingénieuſe & ſaillante. - - - Elle a néceſſairement deux parties: l'une, qui eſt l'expoſition du ſujet, de la choſe qui a produit ou occaſionné la penſée; & l'autre, qui eſt la penſée même, ou ce qu'on appelle le bon mot.*

Sequitur ut, quæ Epigramma ornent, virtutes, breviter expendamus. Quarum tres præcipuas conſtituit LESSING: primam, ut Exſpectatio aut, ſi mavis, Subjectum magnitudine, venuſtate & unitate ad monumenti dignitatem accedat; alteram, ut Prædicatum brevem, qualis eſt epigraphes, exhibeat ſolutionem; poſtremam, ut hæc ſubjecto conveniat & ex præparato ſequatur: quæ ſi rite obſerventur, juſtum verumque acumen ſponte adfuturum. Sed paullo uberius hæc omnia expoſuiſſe juvabit.

Poſtulatæ fuerunt primum in Subjecto Magnitudo atque Dignitas, quarum & ad attentionem occupandam & ad gignendam delectationem maximam eſſe vim, nemo quidem ibit infitias. Sed frequentes tamen hæc patitur regula exceptiones, tum propter latum carminis epigrammatici ambitum, quo res omnes, grandes, humiles, jocoſæ, ſeriæ, æque comprehenduntur, tum propter liberiorem ejusdem carminis characterem, non abjectum quidem aut ſordidum, ſed tenui potius aut mediocri, quam ſublimi, ſtilo propinquum. Neque enim Numina, Heroas & præclara facinora ſemper datur laudare: vitia quoque perſtringi, errores corrigi & abnormes mores falſe irrideri oportet; verum honeſte omnia. Abſit igitur quævis ſive rerum ſive verborum obſcenitas, quam licet ad riſum movendum conferre non abneget CICERO, eam tamen non ſolum non foro dignam, ſed vix convivio, idem judicat (51). Sua, id eſt mala, lingua contenta eſſe Epigrammata, habet MARTIALIS (52), ſed æque fallitur ac dum ſpurcas res proferendo, pernicioſa venena ſalutaribus immiſcet medicinis, a multis ideo ſevere reprehenſus, atque, SYLVII & RADERI cura, mutilus, ſed probior, non ſemel prodire juſſus. Quorum

(51) De Oratore L. II. c. 62.

(52) Præfatione ad Librum II.

rum in ſeligendo diligentiam, male ſedulam nonnullis viſam, vehementer probat ROLLIN (53), optans, ut *Delectus* ille *Epigrammatum* nova, parum mutanda, editione juventutis uſui fiat accommodatiſſimus.

De Venuſtate ſive Pulcritudine, cum ad totum Epigramma pertineat, & ex harmonia partium multum pendeat, dicemus poſtea. Unitas vero, ſi non perſonæ, tamen actionis & rei, propria eſt in primis Subjecto, cujus partes omnes ad eundem finem conſpirent oportet. Fatigatur, quæ ad plura ſimul & diverſa attentionem dirigere cogitur, mens, & rerum confuſa disparatarum multitudine, quid cuique conveniat nec perſpicit, nec perſpicere curat. Quod ut de ſcriptore, ita de lectore, pariter verum eſt. Et in brevi poëmate congerere plura, ſeorſum melius pertractanda, quid juvat? *Denſitas* enim *obſtat invicem, ut in ſatis omnibus fructibusque arborum nihil ad juſtam magnitudinem adoleſcere poteſt, quod loco, in quem creſcat, caret* (54). Licet tamen adhibere ſimilitudines, & duas res inter ſe ſcite conferre, non quidem in ſubjecto, quod unicum erit, ſed in tota Epigrammatis compage, Solutionem ſive concluſionem ex ſimili inferendo.

Venimus ad Brevitatem, de qua multa ſunt ab Artis doctoribus non tantum ſollicite ſed & anxie præcepta. Scilicet ut in antiquis Inſcriptionibus proſaicis una ſæpe aut duabus vocibus res ſolebat abſolvi, ita, ut Epigramma quoque poëticum breve eſſet, generatim imperarunt. Sed non contenti hoc in univerſum urſiſſe, certum ac determinatum, quem nunquam

(53) De la manière d'enſeigner & d'étudier les belles lettres, à Halle 1751. T. I. p. 451 ſq.

(54) QUINTILIANUS, Inſtit. Orat. Libr. VIII, cap. 5.

quam excederet, eidem præfinire modum inſtituerunt nonnulli, ut vel duobus aut ad ſummum tribus (CYRILLUS), vel quatuor (SIDONIUS APOLLINARIS), verſiculis contineretur, vel ut ſenario nunquam brevius, octonario nunquam longius fieret (MOURGUES), moroſe jubentes. At liberius, pro re, evagari ſinunt prudentiores. Exſtant tamen Epigrammata Monoſticha Græca apud THEONEM, COSMAM, EUODUM (55), Latina apud MARTIALEM (56), MILISSUM (57) & OWENUM (58), ſæpe deficientia & hiulca, Germanicum apud LESSINGIUM (59); ſed vicisſim longiora, verſiculorum plus quam quadragenorum, aut quinquagenorum, apud MARTIALEM (60). Jure autem poſtulari brevitatem, non ægre intelligitur. Quod ſi enim ab inſcriptionibus, quæ feſtinanter plerumque & quaſi in transcurſu leguntur, deſcendant Epigrammata, ſervent, oportet, eam cum illis analogiam, ut modico verborum apparatu, ſaltim in ſolutione (nam ſubjecto exſpectationem injicienti reſpondet in inſcriptionibus ipſum monumentum, quod pro temporis ratione citius aut diutius contemplari ſpectatori licet), attentionem legentis acuant, non nimio obruant vel retundant. Unde patet aliam eſſe in Subjecto, aliam in Prædicato, brevitatem. Amplificationem, ſed modicam, non reſpuit illud, aſpernatur vero hoc, utpote ad unicam tantum cogitationem exprimendam reſtrictum. Ea enim quo brevius aperitur, eo fortius mentem ferit, ejusque vi multitudo verborum officit potius quam opitula-

(55) In Anthologia græca.

(56) Uti Libr. II. ep. 73. L. VII. ep. 97. L. VIII. ep. 19.

(57) Exemplum vide in Poëtica Gieſena majori p. 310.

(58) Epigrammatum ad Dominam STUART n. 256. ad HENRICUM Principem Lib. I. n. 56 & 75.

(59) Libr. cit. p. 135.

(60) L. I. ep. 50. L. III. ep. 57.

tulatur (61). Quare nec illorum laudare posſumus operoſam ingenii pruriginem, unitati certe penitus contrariam, qui uno Epigrammate plura comprehendere, & eximiam artis gloriam in componendis iis, quæ ſejungenda rectius fuisſent, quærere, ſtulte anhelarunt. Quod conſilium non felicius exemplo, quam doctrina, confirmavit SCALIGER, in ſequenti Epigrammate:

Heus utrum eligimus? Si non niſi dente podagra,
Dente famis diræ diſcruciata perit.
Ah nequeam, niſi ſic, finire dolore dolorem?
Atque ferum finem tollere ſine truci?
Heu macie informi, larvata heu tabe furorem,
Et funus plusquam funere præveniens.
O vitam invitam, o incommoda commoda, lux nox,
Si, ne aliquid fias, cogeris eſſe nihil (62),

quatuor ineſſe Epigrammata fruſtra obtendens, ſed præter inanes argutias nihil promens. Cui luxuriæ niſi obex poneretur, cito actum foret de Epigrammate, in inſulſum magma brevi abituro. Neque enim omnia, quæ de re quadam ſcribenti in mentem veniunt, effutire decet, ſed reprimere otioſa, inutilia, ſupervacua, & ex argutis quoque ac belle conceptis ea tantum ſervare, quæ ad inſtitutum maxime faciant. Quod ſi non unius tantum, ſed plurium, in una re momentorum cernendorum & exprimendorum potens ſit ingenium, aut plura de eadem epigrammata fundere, aut alius generis, ſuo jure copioſius, poëma conficere potius convenit, quale v. gr. eſt amatisſimum illud vernaculum KELLGRENII: *Dumboms lefverne*, quod ſatyram peculiaris exempli, ſibi conſtantem & feſtive ubique ridentem, recte, epigramma compoſitum ſecus appellaveris.

(61) *Words are as leaves, and where the moſt abound*
Much fruits of ſenſe beneath is rarely found. POPE.

(62) Libr. cit. p. 392 ſq.

Sequitur ordine Harmonia, ſive Subjecti cum Prædicato convenientia, qua neglecta

nec pes nec caput uni
Redditur formæ (63).

Quamvis enim, quid in ſinu habeat Epigrammatis concluſio, non intempeſtive ſit emittendum, ſed reconditum & clauſum ad finem usque cohibendum, discrepare tamen nimis ab illo quod dictum fuit prius, & dum *amphora cœpit inſtitui, currente rota, urceum exire* (64), nequaquam permittitur. Idem fit & æquabilis, ab initio ad exitum, carminis tenor: non celſa humilibus, læta triſtibus, feria jocoſis, honeſta turpibus miſceantur; ſervetur ad imum, qualis ab incepto proceſſerit, ſenſus, cujus ultimum punctum non prævideri quidem, ſed utcunque translucere, ſcriptori magno tribuitur merito. Unde a reprehenſione vix abeſt MARTIALIS (65), mortem Erotii, amabilis puellæ, lamentabili primum affectu deplorans, tum Pætum, increpantem quod vernulam tam acerbe defleret, mordaciter objurgans, & inſperato, nec prioribus idoneo, eventu legentem fallens.

Patet hinc, quid de Novitate, quam in laudibus Epigrammatis ſubinde poni videas, ſit ſentiendum: rarius nempe eam in ſubjectis, huic carmini aptis, propter magnam humanæ ſcientiæ capacitatem & obſcuram ignotorum indolem, poſſe inveniri, ac in ſolutione, ſi eo tantum nomine nova fuerit, quod exſpectationem deludat, ſemper eſſe vitioſam. Quamvis & fatendum, hanc interdum ſine graviori culpa circum-

(63) HORATII Ars Poët. v. 8 ſq.

(64) Ibidem v. 21 ſq.

(65) L. V. ep. 38, quod utpote longius, huic inſeruiſſe non vacavit.

cumveniri, ubi per artificiosam conversionem ex aliis alia, neque tamen prorsus abhorrentia, promuntur, *errore nostro risum*, non illum qui probitatis impendio res graves sugillat, sed ridicularum rerum, *nobismet ipsis movente* (66).

Diximus in harmonia partium, se ex præparato insequentium, positam esse carminis epigrammatici Venustatem. Quo enim aptius concurrunt & quasi cohærent omnia, eo magis nitent eadem, eoque majorem legenti afferunt voluptatem. Sed requiritur præterea, ut nihil vel redundet vel deficiat, ut puris, tersisque & lucidis (67) verbis enuntientur omnia, ut justæ, nec tamen crebrius, adhibeantur dictionis figuræ, ac ne alta vitando humi repat sermo prosaico propior, sed ut sobriis ornamentis poëticus character distinguatur intemeratus. Et profecto negligentia in hoc carminum genere tanto minorem habet excusationem, quanto est brevius atque rotundius. Nam opere in longo magnove si fas est nonnunquam obrepere somnum, in brevi non eadem datur venia, sed vigili potius cura omnes, quantum fieri potest, delendæ sunt maculæ, ut pulcrum, politum & absolutum totum appareat. Quare & in proprietate verborum examinanda magnus heic est conversionis Voltairianæ supra laudatæ usus.

Supereſt Acumen, de quo, si natura defecerit, vix arte parabili, non multa forent præcipienda, nisi figmentis fucoque puerili nativam ingenii paupertatem occultare inepte sæpe tentassent multi Epigrammatum scriptores. At verum, uti diximus, acumen ex justa partium Epigrammatis conforma-

 tione,

(66) Cicero de Orat. L. II. c. 62.

(67) Peccant contra hanc legem Epigrammata, quæ sine notis intelligi nequeunt, qualia sunt illa Oweni ad Henricum Principem L. II. n. 36 & 38, aliaque plura.

tione, harmonia & venuſtate ſponte naſcitur, nec effectu caret, pro conſilio auctoris, plus minus valido. Mitius interdum, ut HERDERI verbis utamur, e circumacto in orbem ferto roſam promit ſubito expanſam, alias acrius, ſcintillam, uti loqui amat WERNICKE, e chalybe excutit: ſed incaſſum profundi res ipſa non ſinit. Nativos vero ſales ſtudioſe æmulari, hebetem imaginandi cogitandique vim intrufis cuſpidare ſtimulis, ſubtilitatem, phaleras, argutias anxie ſectari, circumforaneum decet, non ſobrium, Poëtam, & bono guſtui detrimentum, imo interitum, vel portendit, vel infert (68). Quare inutilem fere & proletarium inſumſiſſe cenſendi ſunt laborem, qui, ad exemplum MASENII, argutæ dictionis fontes

(68) Digna ſunt, quæ ad hanc rem afferantur, SULZERI verba: *Zu viel Witz, auch da, wo ſein mäſsiger Gebrauch nöthig iſt, ermüdet, unterdrückt die den Geiſt und das Herz nährenden Kräfte, die ſchon in dem Stoff liegen, und macht, daſs das, was nützlich ſeyn ſollte, blos angenehm wird. Iſt er einmahl im Reiche des Geſchmacks herrſchend geworden, ſo thut er eben die verderbliche Würkung, die der unmäſsige Gebrauch des Gewürzes in der Lebensart der Wollüſtlinge thut, die allen Geſchmack an nahrhaften und geſunden Speiſen verlieren, und deswegen in eine Weichlichkeit verſinken, in der alle Stärke des Körpers verloren geht. Verſchwendung des Witzes zeiget allemal den Verfall des Geſchmacks; und ein Volk, das in den Werken des Geſchmacks ſich vorzüglich nach Witz umſieht, iſt ſchon ſo verdorben, daſs die ſchönen Künſte die heilſamſte Würkung, die man von ihnen zu erwarten hat, an ihm nicht mehr thun können. Die gründlichſte Rede, darin ein ſolches Volk zu ernſtlicher Ueberlegung deſſen, was zu ſeinem wahren Intereſſe dienet, ermahnet würde, thäte weniger Wirkung als ein witziger Einfall.* Et paucis interjectis: *Darum ſollten Kunſtrichter, denen die Ausbreitung des wahren und gründlichen Geſchmacks am Herzen liegt, auf nichts mehr wachen, als auf die Hintertreibung des Miſsbrauches, der insgemein von dem Witze gemacht wird, ſobald die ſchönen Künſte bis zu einer gewiſſen Verfeinerung getrieben worden.* Libr. cit. Art. *Witz.*

tes inveſtigaſſe non contenti, præcepta quoque ejusdem dictionis operoſius tradiderunt, aut, cum DELIO, jocandi artem diſcendam propoſuerunt ſubtilius. Et quamvis non tolerari modo, ſed laudem quoque mereri interdum queat ambiguitas, quam *non ſemper in joco*, verum *ſæpe etiam in gravitate verſari*, quaque id, cui admiſcetur, *ſalſius fieri* monet CICERO (69), a vero tamen epigrammate eſt alienior, quod, verum ſcilicet, probo nummo, ambiguum vero &, quod ſupra diximus, expectationem circumveniens, teſſeræ luſoriæ, ſed pulcræ & nitidæ, non inficete aſſimilavit LESSING (70). Tale ambiguitatis exemplum habet, inter multa, MARTIALIS:

Scribit in averſa Picens epigrammata charta,
Et dolet averſo quod facit illa Deo (71).

Qui vero ſpuria jactant acumina, juſtum ſtili ornatum aut excedendo aut minuendo commaculant. Excedunt, dum inani tumore turgent, hyperbolas oſtentant frigidas & jejunas, crebraque nimis & inſolentiora adſpergunt figurarum ſententiarumque lumina; minuunt, dum nugis onerant. Rerum namque

(69) CICERO loco proxime citato.

(70) Libr. ſæpius cit. p. 164. Et BOILEAU, Ch. 2, v. 123 ſqq.
La Raiſon - - -
- - - - -
Par grace lui (à la pointe) *laiſſa l'entrée en épigramme,*
Pourvu que ſa fineſſe, éclatant à propos,
Roulat ſur la penſée, & non pas ſur les mots. - -
Ce n'eſt pas quelquefois qu'une muſe un peu fine
Sur un mot en paſſant ne joue & ne badine,
Et d'un ſens détourné n'abuſe avec ſuccès:
Mais fuiez ſur ce point un ridicule excés,
Et n' allez pas toujours d'une pointe frivole
Aiguiſer par la queue une Epigramme folle.

(71) L. VIII. ep. 62.

que inopes in verbis ludunt; plures linguas commiſcent, ut in illo Oweni:

Etymon anglicæ vocis Anger (*ira*).
Angitur iracundus homo: non re modo, verum
Nomine, quam prope ſunt Anger *&* Angor *idem?* (72);

litteras demunt, addunt (73), transponunt ad modum Anagrammatis (74); ſyllabas diſſipant, colligunt, ut in Logogryphi quodam genere recentiori (*Charad*) (75), aut Echus inſtar reſonare faciunt, quemadmodum ſcurrilis ſæpe Owenus:

Quæ velit ancillam concedere nupta marito,
Res eſt hoc noſtro tempore rara, Sara (76),

& alias, ad tædium usque, ſtruunt ineptias, quæ cum vera Epigrammatis dignitate ac pretio conſiſtere minime poſſunt.

Quæri etiam poteſt, an Proverbia in Epigrammate locum inveniant? Probum vero Epigramma e proverbio ſolo, quod totum pronuntiato univerſali continetur, confici vetat ipſe hujus carminis character, ad rem quandam ſpecialem ſemper referendus. Sed obſtant præterea partim tritus & nemini fere ignotus horum dictorum uſus, partim inurbani & illepidi quorundam ſales (77), ne multum vel gratiæ vel acuminis pos-

---

(72) Epigrammatum ad Dominam Neville L. II. ep. 101. Cfr. & ejusdem Epigr. ad Henricum Principem L. II. ep. 29.

(73) Exemplum præbet idem Owenus Epigr. ad Henr. Princ. L. II ep. 66.

(74) Idem ibidem ep. 12.
Recta *fides* certa *eſt*, arcet *mala ſchiſmata, non eſt*
Sicut creta, *fides fictilis: arte* caret;

(75) Idem ibidem ep. 31.

(76) Epigr. ad Dn. Neville L. I. ep. 143.

(77) *Pour l'ordinaire* les proverbes *cachent un grand ſens ſous des*

posſint puro, terſo, acuto & improviſa concluſione conſpicuo poëmati conciliare, ſaltim in ſolutione, quam & totam abſolverent & ad ignobilem vulgatæ ſententiæ honorem deprimerent. Quod ſi detorta aliquantum, & ſic novitatis quadam ſpecie imponentia, poſſent quando forte in prima Epigrammatis parte tolerari, id tamen habent incommodi, quod præmaturam, nec veram, afferre videantur ſolutionem.

Alia eſt quæſtio, quidnam metri genus Epigrammati maxime conveniat? Qua de re ita judicant artis magiſtri, incongruens fere eſſe hexametrum ſolum, utpote grave ac amplum & in heroum geſtis deſcribendis proprie occupatum; apta vero in primis elegiacum & phalæcium ſive hendecaſyllabum (78): quæ, veteribus frequentiſſima, recentiores ſubinde imitati, jambico tamen plerumque, & nonnunquam alexandrino, utuntur.

Scriptores tum Epigrammatum tum artis epigrammaticæ recenſuit BLANKENBURG (79), ita tamen ut ſupplementis non præcluſerit locum: quæ quamvis plenius conquirere non vacavit, afferemus tamen, coronidis loco, nonnulla. Et Latina

E qui-

---

termes bas. - - Les ſentences ſont les proverbes des honnêtes gens, comme les proverbes ſont les ſentences du peuple. BOUHOURS la manière de bien penſer dans les ouvrages d'eſprit, Amſterd. 1709 p. 43. ſq.

(78) Hoc phalæcio multum delectatus fuit CATULLUS, cujus tamen poëmata, in quantum græcam non agnoſcunt originem, plerumque Silvarum (*In-promptus*) potius quam Epigrammatum nomine eſſe appellanda judicat Anonymus in Charaktere der vohrnehmſten Dichter aller Nationen, 1:n Bandes 1ſs Stück, p. 164.

(79) Litterariſche Zuſätze zu J. G. SULZERS allgemeiner Theorie der ſchönen Künſte, 3:r Band 1798, p. 171-186.

quidem Epigrammata, præter nominatos, compoſuerunt: HARDERUS, quem tres ſaltem Epigrammatum libros publici juris feciſſe reſcivimus; MARCUS ANTONIUS CASANOVA (80), inter recentiores primus, & MARTIALI fere par, a nonnullis habitus ſed LESSINGIO, certe in exemplo allato, minus probatus (81); NICOLAUS GRUDIUS (82); CALCAGNINI (83); FRIDERICUS TAUBMANN (84); JACOBUS EYNDIUS AB HAEMSTEDE (85), MATTHIAS CASIMIRUS SARBIEVIUS (SARBIEWSKY) (86); EMANUEL TESORO (87); LUDOVICUS Liber Baro DE HOLBERG (88): collegit JOH. SIG.

JOHN

(80) In Deliciis Poëtarum Italorum.

(81) Libr. cit. p. 200 ſq.

(82) In Poëmatibus trium fratrum Belgarum. Cfr. & LESSING. l. c. p. 202 ſq.

(83) Citatus p. 6 a MASENIO, cui nonnulla ſubminiſtravit Epigrammatum exempla, depromta forte ex Operibus, quæ Baſileæ 1544 prodierunt.

(84) In Columbis ſuis poëticis, Wittebergæ 1594 editis, & aliis forte ſcriptis. Habentur quædam in Taubmannianis, Francof. & Lipſ. 1704.

(85) In Poëmatibus, GUSTAVO ADOLPHO, Principi tum Sveciæ hæreditario, inſcriptis & Lugd. Bat. 1611 excuſis. Ubi præter Epigrammatum, ſed quinque tantum exemplorum, Librum, alius occurrit Hydropyricωn, amatoria plerumque ludens, ac ad flammas & undas inepte omnia referens.

(86) Epigrammatum, numero 119, maxima ex parte religioſorum, nec raro e Cantici Canticorum locis expreſſorum, Librum habet in Carminibus, quæ primum Antwerpiæ 1632, ultimum, quantum ſcimus, Pariſiis 1759 edita fuere.

(87) MASENIO, qui forte ex Inſcriptionibus, Auguſtæ Taurinorum 1666 evulgatis, exempla mutuavit, interdum uſitatus.

(88) Quatuor edidit libros Latinorum Epigrammatum, quorum 63 fuſiori commentario illuſtravit in Moraliſche Gedanken, Leipz. 1744.

(89) Parnaſſi Sileſiaci, ſive Recenſionum Poëtarum Sileſiacorum,

JOHN (89). — Germanica: JOH. FRID. Liber Baro DE CRONEGK (90); JOH. HENR. VOSS (91); CAR. PHIL. CONZ (92); E. T. J. BRÜCKNER (93): collegit, præter reliquos, MEISTER (94): e Græco transtulit etiam F. K. L. Liber Baro DE SECKENDORF (95). — Gallica: ANT. BAUDERON DE SENÉCÉ & CAR. FRANC. PANARD. — Anglica: EDM. WALLER, SAM. BUTLER, JOH. DRYDEN, MATTH. PRIOR, JONATH. SWIFT, ALEX. POPE. — Italica: JOH. DELLA CASA, FRANC. LOREDANO, CASONI, JOH. BAPT. GUARINI, G. F. ZAPPI (96). — Rusſica: JOH. DMITRIEW (97).

quotquot vel in patria vel in alia etiam lingua Muſis litarunt, Centuria I & II, Wratislaviæ 1728, 1729.

(90) Schriften, zwey Theile, Anſpach 1760 & 1765. Deutſcher Merkur 1774.

(91) Lyriſche Gedichte, 4:r Band, Königsberg 1802, ubi & Epigrammata occurrunt, partim auctoris propria, partim ad ſpecimina Anthologiæ græcæ efficta.

(92) Morgenländiſche Apologen, oder die Lehrweisheit Jeſu in Parabeln und Sentenzen, Heilbronn 1803, de quo libro videas Jenaiſche Allgem. Literatur Zeitung 1804, N:o 10.

(93) Gedichte, Neu-Brandenburg 1803, quibus plurium epigrammatum auctor octo tantum inſeruit. Vid. Jen. Allg. Lit. Zeit. 1804, N:o 93.

(94) Anweiſung und Exempel mehrentheils luſtiger und annehmlicher Epigrammatum, aus vielen Autoribus zuſammengeleſen, 1726. Cfr. LESSINGS Analekten für die Litteratur, Erſter Theil p. 273.

(95) Blüthen griechiſcher Dichter, überſetzt von SECKENDORF. Vid. Ergänzungs Blätter zur Allgemeinen Literatur Zeitung, 4:r Jahrgang, N:o 25.

(96) De quibus omnibus, Gallicis, Anglicis, Italicis, Epigrammatum ſcriptoribus videatur ESCHENBURG, Theorie und Literatur der ſchönen Wiſſenſch. p. 108 ſq. & Beyſpielſammlung, 2:r Band p. 19-23, 31 ſq. 34-39.

(97) IWAN DMITRIEW Sotſchinenija i perewody, i. e. propria & trans-

Sed Svecos quoque Epigrammatum auctores, quorum conamina, parca tamen & rarius limata, vel ſciens tacuit vel, quod veri videtur ſimilius, ignoravit BLANKENBURG, commemorasſe, ad noſtrum in primis pertinere videtur officium. Et primus quidem horum, ut ab antiquioribus incipiamus, nominandus eſt GEORGIUS STJERNHJELM (98), quem prope inſequuntur ANDREAS ARVIDI STREGNESENSIS (99), SAMUEL COLUMBUS (100) & OLAUS WEXIONIUS junior (101). Excipiunt JOHANNES RUNIUS (102), JACOBUS FRESE (103), SAMUEL TRIEWALD (104),

---

lata ſcripta, Moſkwa 1803, quo libro & Epigrammata, facetiarum & acuminis multum habentia, contineri refertur in Halliſche Allgem. Literat. Zeit. 1804, N:o 45.

(98) In Muſis Suethizantibus, thet år, Sång-Gudinnor nu förſt Härande dichta och ſpela på Svenſka, Stockh. 1668 & 1688, fol. 8 verſo & 9, tria habet Epigrammata (*Öfverſkrifter*).

(99) Manuductio ad Poëſin Svecanam, thet år, en kort Handledning til thet Svenſke Poeterij, Strengnäs 1651, ubi p. 141-143 ſex proponit Epigrammatum exempla.

(100) Bibliſke Verld ſampt andre Poetiſke Skriffter, Stockh. 1674 & 1687, in qua collectione fol. 33 & 34 duodeviginti comparent Epigrammata (*Öfverſkrifter*).

(101) Sinne-afvel, Göteb. 1684. Nonnulla e rariſſimo libro Epigrammata (*Poëtiſka Bi-och öfverſkrifter*) ſelegit LIDÉN in Hiſtoriolæ Litterariæ Poëtarum Svecanorum P. II. p. 48 ſq. addito judicio, multa in iis inveniri, *quæ brevitate delectent, argutiis animum pungant & venuſtate permoveant.*

(102) Cujus unicum, nomine tantum, non omine, Epigramma legitur in Dudaim, Andra Delen, Stockh. 1733 p. 155 ſq.

(103) Andelige Dikter, Stockh. 1726, ubi p. 68-8 occurrunt Epigrammata (*Öfverſkrifter*) religioſa, quemadmodum in Korta Sedolåror och ſedetillämpningar, Stockh. 1726 p. 39-50, ſententiæ quædam morales metrice expreſſæ,

(104) & J. J. TORPADIUS (105). Agmen claudunt Poëtria HEDVIG CHARLOTTA NORDENFLYCHT (106), Ill. GUSTAVUS PHILIPPUS CREUTZ (107) & Anonymi (108). Manſiſe tamen in vera Epigrammatis ſignificatione paucisſimos, & vicisſim alios breviora pepigisſe carmina, quibus, præter nomen, nihil defuit epigrammatici, non eſt quod diffiteamur.

---

(104) Låreſpån uti Svenſka Skaldekonſten, Stockh. 1756. p. 11 & 28. Tria tantum ſunt hujus auctoris Epigrammata, unum e Latino HUG. GROTII, duo e græcis Anthologiæ, in Svecanum ſermonem converſa.

(105) In collectione carminum Svecorum Sahlſtedtiana, Samling af Verſer på Svenſka, 3 Del. Stockh. 1752, p. 108-110, 128-130, 137-139, novendecim exſtant hujus epigrammata, quorum maxima pars ad MARTIALIS, duo ad Gallicorum ſcriptorum, formam imitando efficta.

(106) Qvinligt Tankeſpel för år 1745 p. 162-171 & 171-174, ubi Inſcriptiones leguntur poëticæ, primum vernaculo (*Sinnebilder på Kort*), tum Gallico (*Deviſes*), ſermone exaratæ. Quibus addas, quæ in Vitterhets arbeten, Förſta Tomen, Stockh. 1759-p. 138 1 0, Andra Tomen, Stockh. 1762, p. 234, & Fru NORDENFLYCHTS utvalda arbeten, Stockh. 1774, p. 154-160 & 335-341 occurrunt.

(107) Vitterhets arbeten af CREUTZ och GYLLENBORG, Stockh. 1795, p. 83, ubi unicum tantum videas Illuſtris Auctoris Epigramma.

(108) In Collectionis Sahlſtedtianæ, 3 Del. p. 101 ſq. 132 ſq. Våra Förſök, Vol. I. Stockh. 1753, p. 37, 40. Vol. II. p. 116, 119, 184-187. Vol. III. Sth. 1756, p. 128, 130-133. Mina Förſök, 4 Del. Sth. 1759, p. 41-43, 48. Öfningar af Sällſkapet Vitterlek, 1 Del. Sth. 1760, p. 69, 75 ſq. 76. 2 Del. Sth. 1762, p. 51, 58. 3 Del. Sth. 1763, p. 58, 74. Vitterhets arbeten, Andra Tomen, p. 235. Samlaren, Andra Del. Sth. 1773, p. 168, 192, 208, 256. Fierde Del. Sth. 1774, p. 392. Förſök i Skaldekonſten, Upſ. 1784. cæt. — Quibus accenſeas, quæ in Novellis publicis Metropoleos & provinciarum disjecta paſſim inveniuntur. Continentur vero in hisce omnibus multa ex MARTIALI, BOILEAUVIO, HOLBERGIO aliisque imitata.

Hic ſubſiſtere erat animus, ſed ne vacua relinquatur pagina, Auſoniani de Didone Epigrammatis (pag. 11) nonnullas afferemus verſiones, uti Gallicam incerti auctoris:

Pauvre Didon, où t'a réduite
De tes maris le triſte ſort?
L'un, en mourant, cauſe ta fuite,
L'autre, en fuyant, cauſe ta mort;

Italicam GUARINI:

O ſfortunata Dido,
Mal fornita d'amante e di marito:
Ti fù quel traditor, queſto tradito:
Mori l'uno, e fugiſti;
Fuggi l'altro, e moriſti;

Germanicas, unam anonymi:

Die Männer wirken dir, o Dido, lauter Noth:
Des einen Tod die Flucht; des andern Flucht den Tod;

& alteram, meliorem quidem, WERNICKII:

O Weib, das nichts als Leid in zweien Männern ſieht!
Du fliehſt weil jener ſtirbt, und ſtirbſt weil dieſer flieht;

tandemque Svecanam, noſtram:

Nej, Dido, ingen man ditt öde lyckligt gör:
den ena dör, du flyr; den andra flyr, du dör.

Subjungemus quoque, ad pag. 23, definitionem Epigrammatis Bergklintianam (Sammandrag af Vetenſkaperne, Förra del. 3:dje Upl. Stockh. 1794, p. 252 ſq.): *Epigrammet innefattar i en hel kort vers en qvick och ſinnrik tanke vid ſlutet: ej olik en raqvet, ſom ſtiger, lyſer och ſmäller.* In qua ſaltem ſimilitudine multum ineſt & acuminis & veritatis.